

Caspar Mauritius

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Casparus Mauritius, SS. Theol. D. eiusdemq[ue] P. P. & Ecclesiastes Ad Exequias Quae Matronae ... Annae Corfiniae Viri ... Dn. Johannis Affelmanni, Theologiae Doctoris & Professoris in hac Academia quondam celeberrimi, relictæ Viduae Hodie in templo Jacobæo parabuntur, Omnes omnium ordinum Cives Academicos peramanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770462669>

Druck Freier  Zugang



Mauritius, C.,  
in A. Corfinius,  
uxor. J. Affelmann.  
R. 1650.

31







PROGRAMMA

Quo

RECTOR UNIVERSITATIS  
ROSTOCHIENSIS

CASPARUS MAURITIUS,  
SS. Theol. D, ejusdemq; P. P. & Ecclesiastes

*Ad Exsequias*

Quæ

MATRONÆ HONESTISSIMÆ  
ANNÆ CORFINIÆ

*Viri admodum Reverendi & Excellentissimi*

DN. JOHANNIS AFFEL-  
MANNI, Theologiæ Doctoris & Pro-  
fessoris in hac Academia quondam celebra-  
rimi, relictæ Viduæ

*Hodie in templo Jacobo parabuntur,*

Omnis omnium ordinum Cives Academicos  
peramanter invitat.



RS (O) S



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno M. DC. L.

31.



Anta est rerum humana.  
rum inconstantia, ut iure me-  
rito exclamet Cicero: *o fallacem hominum spem, fragi-  
lemq; fortunam & inanes  
nostras contentiones, quæ in  
medio spatio sæpè frangun-  
tur, & ante in ipso portu ob-  
ruuntur, quam portum conspiciere potuerint!* Cogita-  
quisquis es, qui in hac vita proram felicitatis tuæ pup-  
pimq; collocas, similitam esse mortalium vitam mo-  
tui maris, nunc quidem ridentis & blandientis, mox sæ-  
vientis & furentis; nunc cœlo minantis & meros moli-  
entis montes, mox ad quietem ac planitiem se recipien-  
tis; semper amari & saisi, innumera producentis mon-  
stra, deniq; sæpè inexpectatis nec prævisis fluctibus  
nautas obruentis, ut verè olim censuerit Menander:  
*satius esse terra pauperem esse, quam divitem mari.*  
Quotus enim quisq; vivit, quem vita hujus inconstan-  
tia lateat, qui non subinde in se vel in aliis experiatur  
miram ejus amaritudinem, eventus improvisos, monstra  
infinita, mala inexhausta? Verè Poeta:

*Non mare tot guttas quot mala mundus habet,  
Sed bene est, quod vitæ hujus brevitatem mala cuncta,  
cito transmittuntur & transcurrunt.* Aristoteles lib. V de  
Animal.

Animal. cap. XIX. autor est, ad Hippanin fluvium apud Cimmerium Bosphorum, qui ab Europæ parte in pontum influit, bestiolas quasdam nasci, quæ unum diem vivunt, quæ ad pomeridianum usq; tempus circumvolitent & vigeant; descendente jam sole marcescant & langueant: occidente vero moriantur & intereant. Quod si hominum quamvis longissimam vitam comparemus cum æternitatis spatiis immensis, quid nisi bestiolæ hujus vitam esse nostram dicemus? Si vita est dicenda, & nõ potius vitæ quædam *imago*, imò *umbra*, Davide teste, quin *nihil* vel ipso Platone lib. X. de Republ. fatente. Sed quid auctoritatibus pugnamus, ubi ipsa experientia loquitur? Quæ nunc effertur, ANNA CORFINIA, exemplum est miseræ & fragilitatis vitæ humanæ. Quanquam enim sexagesimum ætatis annum compleverit, quid tamen sunt sexaginta anni cum æternitate, collati, nisi temporis aliquod punctum & momentum? imò, quid sunt vel mille anni, quid? nisi mortis quædam continuatio? Euripides apud Laërtium lib. 9. *Quis*. inquit, *novit, an vivere hoc sit emori; an emori hoc quod vocamus vivere?* Assonat Augustinus lib. 1. Confess. cap. 4. *Mortalem dicam hanc vitam an mortem vitalem nescio*, Memorabilis est sententia Gregorij Nazianzeni: *Res humana labuntur & intereunt, & aliam atq; aliam subinde mutationem capiunt. Vita quidem & mors tametsi plurimum inter se differre videntur, inter se tamen mutuo transmeant, vicissimq; succedunt. Mors vero, quæ non modo nos à presentibus malis vindicat, verum ad supernam quoq; vitam*

A 2 *subacq; quos sapè*



Sepè traducit, haud scio an propriè mors appellari queat,  
utpote nomine magis quam re formidabilis? Atq; ab-  
surdè sane & præpostere affecti esse videmur, qui ea,  
quæ formidolosa non sunt, exiimecamus, ea autem,  
quæ metuenda sunt, ut meliora, magisq; expetenda  
complectamur. *μία ζωὴ πρὸς τὴν ζωὴν βλέπειν, εἰς θάνατον, ἢ  
ἀμαρτία, ψυχῆς πρὸς ὄλεθρον.* Hæc Nazianzenus præcla-  
rè: qui hanc esse veram mortem dicit, vitam peccatis de-  
ditam, animæ exitiabilem. Quæ ut sunt Sacro Codici  
consentanea, ita telum nobis omnibus esse debent ad  
vitæ maturandam, dum hic vivimus, emendationem So-  
lum hoc est vitæ longioris lucrum, eadem uti ad agno-  
scenda peccata & quantocius abjicienda & detestanda.  
Hoc qui juvenis præstat, diu tatis vixisse dicendus est.  
Graviter Plutarchus: *Videmus quævis in re priores  
partes tribui non ætati longæ sed maturitati. nam &  
inter plantas habentur præstantissima, quæ plurimum  
fructus minime tempore ferunt: & inter animalia, ex  
quibus non longo temporis spatio plurimum utilitatis  
vita nostra percipit. Non qui plurimum fidibus cecinit  
aut naves gubernavit, in laude est: sed qui optimè ista  
fecit, nam pulchritudo non in temporis longitudine, sed  
in virtute & tempestiva moderatione collocanda est.*  
Verum enimvero id pleriq; omnes summo sibi studio  
commendatum haut habent, ut maturè in viam redeant,  
animumq; ad veram & germanam pietatem procul ha-  
bitis vitiorum blandimentis juvenes componant. Et  
haud vanè Lutherus noster, ὁ μὲν γὰρ, interrogatus, quid ef-  
set homo, respondit: *Homo est fatuus usq; ad annum  
quadra,*

quadragesimum. Deinde ubi agnovit se esse fatuum, vita consumpta est. Et bene est, si tandem agnoscat. Servator noster apud Lucam XIII. 7. Ecce, inquit, tres anni sunt, ex quo veni quarens fructum in sicu, & non inveni. Quinam sunt illi tres anni: tres hominum ætates, pueritia, juventus, senectus. Illius fructus est petulantia; istius lascivia: hujus avaritia aliæq; humanæ mentis pestes. Interim Deus toto die expandit manus suas ad nos, stat ad ostium cordis nostri, & suo Spiritu pulsat. Cæterum nos surdi & altissimo somno oppressi emendationem vitæ de die in diem differimus, nec cogitamus, quanto magis ea negligitur & comperendinatur, tanto majoribus eam difficultatibus implicari. Debita indies aucta postea difficilimè solvuntur: & quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Si beneficij ad corpus nostrum spectantis bona copia offertur, nullam rei benè gerendæ occasionem è manibus elabi patimur: in solo negotio salutis cunctamur, & quisq; hic sibi Nestoreos annos vanissima spe fingit. Sed audiamus Augustinum: Tu, inquit, quando vocarò, veni. Paterfamilias tibi quidem etiam undecima venienti denarium promisit: sed utrum vivas usq; ad septimum nemo tibi promisit. Quare ergo differs audire vocantem te, certus de mercede, incertus de die. Vide ne forte, quod tibi ille daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo. Idem alibi: Ne de misericordia domini tantum securi existimamus, ut peccatis peccata augeamus, neq; dicamus donec vigeat ætas nostra carnis, concupiscentias nostras exerceamus, & postremo in senectute malorum nostrorum penitentiam agamus: pius enim est dominus & misericors, nec ultra facinorum nostrorum recordabitur. Ne queso taliter cogitemus, quia summa stultitia est hac cogitare: cum & impium sit talem licentiam à DEO postulare quempiam velle, cujus initium est, nos separare à Deo: ideo, inquam

*taliane cogitemus cum nesciamus, qua die morituri simus. Nemo enim hominum novit diem exitus sui. Non omnes in senectute moriuntur, sed in diversis aetatibus de hoc mundo migrant. Et in quibus actibus unusquisq; homi inventus fuerit, in eodem iudicabitur, quando anima exierit de corpore. Ideo festinemus ad pœnitentiam converti. Semper ante oculos nostros versetur ultimus dies: & cum diluculo surrexerimus, ne ad vesperam nos confidamus pervenire: & cum in lectulo membra deposuerimus, de lucis non confidamus adventu: sic & facillimè poterimus corpus nostrum à vitiis & concupiscentiis refrœnare. Israelitæ olim agnum paschalem festinantes & stantes atq; ad iter accincti edebant, eumq; torum, nihil inde crastino diei reservantes; Sic & nos non torpeamus in regn. Satanæ, sed summa festinantia illud relinquamus, nec in crastinum rem rejiciamus, sed properemus ad mare rubrum, & virtute sanguinis Christi mundi hujus mare transeuntes ad cœlestia regna terramq; promissam alacri & indefesso studio contendamus. Unum hic addendum est, quoties de emendandis vitiis cogitamus, non in alios, sed in nosmet ipsos oculos esse convertendos. Benè Gregorius: Qui ad alta virtutum surgere veraciter appetunt, cum alienas culpas audiunt, mox ad eor proprias reducunt: & tanto rectius illas dijudicant, quanto verius istas deplorant. Cæterum multorum hominum tanta perversitas est, ut festucam in oculo alieno protinus cernant, sed trabem in oculo suo minimè animadvertant, nec videant manticæ quod in tergo est, similes senum nonnullis, qui remota satis acutè cernunt, sed in propinquo sita non nisi per conspicillum: similes vulturibus aliisq; avibus ex raptis viventibus, qui dissita cadavera odorantur, viva, & sana minimè: sic & isti censores in alienis vitiis lin-*

et sunt, in suis ut & alienis virtutibus talpæ. Sed scire  
debebant, *justum primum esse in lite sua, & postea proximum  
scrutari*, ut loquitur mortalium sapientissimus Prov.  
XII. 17. Sed hæc cogimur abrumpere. Redimus ad p.  
defunctam nostram. Edita ea est in lucem hanc Anno se-  
culi superioris nonagesimo, IX. Septemb. Pater ejus fuit  
Vir Amplissimus & Consultissimus Dn. JOHANNES  
CORFINIUS, Opt. art. Magister & Inclytæ hujus Ci-  
vitatatis Consul Senior, Vir tum summorum Virorum, in  
quibus familiam ducit Ornamentum hujus ut & Juliæ  
Academiæ singulare Jo. Caselius, familiaritate, tum in  
Remp. hanc meritis eximiis clarissimus. Mater fuit AN-  
NA CROWLIA, matrona generis & morum splende-  
re insignis. Avus paternus ei fuit, CHRISTIANUS  
CORFINIUS, Civis primarius & Cerevisarius: Avia  
paterna CATHARINA Sürhafen / foemina honestis-  
sima. Avus Maternus JOHANNES Kraunel Civis in-  
ter præcipuos & cerevisarius: Avia materna ANNA  
Kölers / matrona pientissima. His majoribus ortam & à  
se procreatam filiam Parentes, postquam sacro lavacro  
regenerari curassent, porro in pietate educaverunt,  
& cum adultam attigisset ætatem, annum videlicet XX.  
matrimonio junxerunt Viro admodum Rever. & Ex-  
cellentissimo Dn. D. JOHANNI AFFELMANNO,  
Theologo insigni & variis editis in Prophetas quosdam,  
Psalms, partem Geneleos, Apocalypsin. contra Bellar-  
minum, aliosq; Pontificios & Calvinianos tractatibus  
celeberrimo, Viro de hac Academia præclarissimè me-  
rito, cujus anima sit in benedictione. Huic matrimonio  
quanquam defuit proles, sincerus tamen amor eo adfuit  
gradu, ut in gratiam redire cum offensa neuter necesse  
habuerit.

habuerit. Mortuus autem Maritus Anno **XXIV.** dis-  
cessu suo ingentem luctum in viduato thalamo reliquit,  
& molestias inexhaustas, quas tamen nostra tulit, usq;  
dum placida morte ex hac vita in meliorem est transla-  
ta. Quod factum est XII. Decemb. postquam paucos  
dies ante morbo correpta lectoq; affixa fuisset. Cum ve-  
ro ejus exuviae hodie hora 1. in templo Jacobæo terræ  
sint demandandæ, ea, qua par est, diligentia rogo & hor-  
tor omnes Professores, Doctores, Magistros & reliqua  
Academiæ nostræ membra, ut hoc postremum humani-  
tatis officium defunctæ nostræ præstent, & non modo  
erga eos qui decesserunt, & præclaris in utramq; Rem-  
publ. meritis sunt conspicui, verum etiam erga superstiti-  
es Affines & Agnatos, inter quos honoris causa nomi-  
nandos duxi Virum pl. Reverendum & Excellentissimū  
Dn. **JOHANNEM CORFINIUM**, SS. Theol. Lic.  
Prof. Publ. & Pastorem Marianum, Dn. Collegam &  
amicum honorandum, & Virum Amplissimum & Pru-  
dentissimum Dn. **JOACHIMUM Kleinschmide** / Civi-  
tatis hujus Senatorem meritissimum, literarum & litera-  
torum fautorem egregium, amicum nostrum pl. colen-  
dum, qui defunctæ nostræ Sororem in matrimonio ha-  
buit, atq; Cl. Virum Dn. **M. JOHANNEM CORFI-  
NIUM**, amicum pl. dilectum, observantiam suam &  
amorem contestentur. suæq; mortalitatis memores vi-  
vant. P.P. Rostochij XVI. Decemb. Anno

M. DC. L.

*Conventus fiet in aede Jacobæa  
hora prima.*

✽ (o) ✽













dei sunt, in suis ut & alienis virtutibus  
debeant, *justum primum esse in luce sua*  
*scrutari*, ut loquitur mortalium fa-  
XII. 17. Sed hæc cogimur abrumpe  
defunctam nostram. Edita ea est in lu-  
culi superioris nonagesimo, IX. Septe  
Vir Amplissimus & Consultissimus  
CORFINIUS, Opt. art. Magister &  
vitatatis Consul Senior, Vir tum sum-  
quibus familiam ducit Ornamentum  
Academiae singulare Jo. Caselius, fan-  
Remp. hanc meritis eximiis clarissimu-  
NA CROWLIA, matrona generis &  
re insignis. Avus paternus ei fuit, C. H.  
CORFINIUS, Civis primarius & Ce-  
paterna CATHARINA Sürhafen/  
fima. Avus Maternus JOHANNES  
ter præcipuos & cerevisiarius? Avia  
Sölers / matrona pientissima. His ma-  
se procreatam filiam Parentes, postq-  
regenerari curassent, porro in pieta-  
& cum adultam attigisset ætatem anni  
matrimonio junxerunt Viro admod-  
cellentissimo Dn. D. JOHANNI A F  
Theologo insigni & variis editis in Pre-  
Psalms, partem Geneteos, Apocalyp-  
minum, aliosq; Pontificios & Calvi-  
celeberrimo, Viro de hac Academia  
rito, cujus anima sit in benedictione. E-  
quanquam defuit proles, sincerus tam-  
gradu, ut in gratiam redire cum offenti-

d scire  
proximum  
s Prov.  
as ad p.  
anno le-  
jus fuit  
NNES  
jus Ci-  
um, in  
Julia  
um in  
t AN-  
tendo-  
ANUS  
Avia  
nestif-  
vis in-  
NNA  
m & à  
vacro  
runt,  
XX.  
& Ex-  
NNO,  
sdam,  
bellar-  
atibus  
è me-  
nonio  
adfuit  
cesse  
uerit.

